

incitamentum. Sed quum subinde hostis adflueret, jam ingentem vim telorum exceperat clypeo; jam galeam saxa persregerant; jam continuo labore gravia genua succiderant. Itaque contemptim et incaute, qui proximi steterant, incurrerunt: e quibus duos gladio ita excepit, ut ante ipsum exanimes procumberent; nec cuiquam deinde propius incessendi eum animus fuit: procul jacula sagittasque mittebant. Ille ad omnes ictus expositus, aegre jam exceptum poplitibus corpus tuebatur; donec Indus duorum cubitorum sagittam (namque Indis, ut antea diximus, hujus magnitudinis sagittae erant) ita excussit, ut per thoracem paullum super latus dextrum infigeretur. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma moribundo similis, adeoque resolutus, ut ne ad vellendum quidem telum sufficeret dextra. Itaque ad expoliandum corpus, qui vulneraverat, alacer gaudio adcurrit; quem ut injicere corpori suo manus sensit, credo, ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem revocavit animum, et nudum hostis latus subjecto mucrone hausit. Jacebant circa regem tria corpora, procul stupentibus ceteris: ille ut, antequam ultimus spiritus deficeret, dimicans jam extingueretur, clypeo se adlevare conatus est: et postquam ad connitendum nihil supererat virium, dextra impendentes ramos complexus tentabat adsurgere. Sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procubuit; manu provocans hostes, si quis congredi auderet. Tandem Peucestas per aliam oppidi partem, deturbatis propugnatoribus muri, vestigia persequens regi supervenit; quo conspecto Alexander jam non vitae suae, sed mortis solarium supervenisse ratus, clypeo fatigatum corpus excepit. Subit inde Timeus, et paulo post Leonnatus; huic Aristonus supervenit. Indi quoque quum intra moenia regem esse comperissent, omissis ceteris illuc concurrerunt, urgebantque protégentes; ex quibus Timaeus, multis adverso corpore vulneribus acceptis, egregia-